

LATIN LANGUAGE EXAM
Harvard University, Department of History

January 23, 2020

Translate any two of the following passages into literate English. Put accuracy of the rendering before style, but try to be readable. You may use a dictionary.

1. Tacitus, *Germania*, 11-13.1

11. 1 De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes praetractentur. Coeunt, nisi quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur; nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul nec ut iussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. Ut turbae placuit, considunt armati. 2 Silentium per sacerdotes quibus tum et coercendi ius est, imperatur. Mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit, frameas concutiunt: honoratissimum assensus genus est armis laudare.

12. 1 Licet apud concilium accusare quoque et discrimen capitis intendere. Distinctio poenarum ex delicto: proditores et transfugas arboribus suspendunt, ignavos et inbelles et corpore infames caeno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. 2 Sed et levioribus delictis pro modo poena: equorum pecorumque numero convicti multantur. Pars multae regi vel civitati, pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis eius exsolvitur. Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt; centeni singulis ex plebe comites consilium simul et auctoritas adsunt.

13. 1 Nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt.

2. Benedict of Nursia, *Regula* 3.

II. Qualis debeat abbas esse.

22 Ergo aequalis sit ab eo omnibus caritas, una praebeatur in omnibus secundum merita disciplina. 23 In doctrina sua namque abbas apostolicam debet illam semper formam servare in qua dicit: *argue, obsecra, increpa*, 24 id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, durum magistri, pium patris ostendat affectum, 25 id est indisciplinatos et inquietos debet durius arguere, oboedientes autem et mites et patientes ut in melius proficiant obsecrare, negligentes et contemnentes ut increpat et corripiat admonemus. 26 Neque dissimulet peccata delinquentium; sed et mox ut coeperint oriri radicitus ea ut praevallet amputet, memor periculi Heli sacerdotis de Silo. 27 Et honestiores quidem atque intellegibiles animos prima vel secunda admonitione verbis corripiat, 28 inprobos autem et duos ac superbos vel inoboedientes verberum vel corporis castigatio in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum: *Stultus verbis non corrigitur*, 29 et iterum: *Percute filium tuum virga et liberabis animam eius a morte*. 30 Meminere debet semper abbas quod est, meminere quod dicitur, et scire quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. 31 Sciatque quam difficilem et arduam rem suscipit regere animas et multorum servire moribus, et alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus; 32 et secundum uniuscuiusque qualitatem vel intellegentiam, ita se omnibus conformet et aptet ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum in

augmentatione boni gregis gaudeat. 33 Ante omnia, ne dissimulans aut paruipendens salutem animarum sibi commissarum, ne plus gerat sollicitudinem de rebus transitoriis et terrenis atque caducis, 34 sed semper cogitet quia animas suscepit regendas, de quibus et rationem redditurus est. 35 Et ne causetur de minori forte substantia, meminerit scriptum: *Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur uobis*, 36 et iterum: *Nihil deest timentibus eum*. 37 Sciatque quia qui suscipit animas regendas paret se ad rationem reddendam, 38 et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo quia in die iudicii ipsarum omnium animarum est redditurus domino rationem, sine dubio addita et suae animae. 39 Et ita, timens semper futuram discussionem pastoris de creditis ouibus, cum de alienis ratiociniis cauet, redditur de suis sollicitus, 40 et cum de monitionibus suis emendationem aliis subministrat ipse efficitur a uitiiis emendat.

III. De adhibendis ad consilium fratribus.

1 Quotiens aliqua praecipua agenda sunt in monasterio, conuocet abbas omnem congregationem et dicat ipse unde agitur, 2 et audiens consilium fratrum tractet apud se et quod utilius iudicauerit faciat. 3 Ideo autem omnes ad consilium uocari diximus quia saepe iuniori Dominus reuelat quod melius est. 4 Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione, et non praesumant procaciter defendere quod eis uisum fuerit, 5 et magis in abbatis pendat arbitrio, ut quod salubrius esse iudicauerit ei cuncti oboediant. 6 Sed sicut discipulos conuenit oboedire magistro, ita et ipsum prouide et iuste condecet cuncta disponere. 7 In omnibus igitur omnes magistrum sequantur regulam, neque ab ea temere declinetur a quoquam. 8 Nullus in monasterio proprii sequatur cordis uoluntatem, 9 neque praesumat quisquam cum abbate suo proterue aut foris monasterium contendere. 10 Quod si praesumpserit, regulari disciplinae subiaceat. 11 Ipse tamen abba cum timore Dei et obseruatione regulae omnia faciat, sciens se procul dubio de omnibus iudiciis suis aequissimo iudici Deo rationem redditurum. 12 Si qua uero minora agenda sunt in monasterii utilitatibus, seniorum tantum utatur consilio, 13 sicut scriptum est: *Omnia fac cum consilio et post factum non paeniteberis*.

3. Diploma of Emperor Frederic II for Cistercian abbey of S. Maria della Sambucina, Palermo, January 1199. MGH Dipl. DD F II 1.

+ IN NOMINE DEI ETERNI ET SALVATORIS NOSTRI IESU CHRISTI AMEN.

Fredericus divina favente clementia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Inter cetera pietatis opera, quibus regiam decet intendere magnitudinem, illud spetialiter dignum eterne retributionis premio creditur, si sacrosanctas ecclesias et loca venerabilia, ubi deus assidue laudatur et colitur, pia consideratione respicimus et qualiter fratres divinis ibi deputati servitiis pacifice et quiete vivere valeant, ex collata nobis celitus regie dignitatis potentia procuramus. Inde est, quod, cum tu, frater Lucas venerabilis abbas Sambucine, nostro te conspectui presentares et humiliter peteres, ut monasterio tuo privilegium protectionis et confirmationis facere dignaremur, nos attendentes religionem et honestatem tuam ac fratrum tuorum prefatum monasterium Sambucine cum ecclesiis, grangiis, hominibus et possessionibus suis sub nostra protectione ac defensione recipimus confirmantes tibi et successoribus tuis ac prefato

monasterio donationes progenitorum nostrorum felitium c regum Sicilie, videlicet culturam ad Fontem Ducis et tenimentum de divisa Cassani et Circlarii cum adiacente marina, sicut ea per privilegia regia possidetis: tenimentum quoque Balerani ad octo paricla boum cum arboribus et omnibus, que infra se continet, sicut illud ex dono domine matris nostre gloriose imperatricis bone memorie per privilegium possidetis, necnon et tenimenta Vallis Bone et Sallole apud Sylam et tenimentum pro pascuis animalium vestrorum, quod dicitur Sancte Rosalie, apud Insulam cutroni et forestam iuxta fluvium Mucconis, sicut ea omnia per privilegia imperialia possedit et possidet ecclesia vestra. Confirmamus nichilominus vobis omnia, que in comitatu Catacensi et in terra Lutii tenuit et tenet ecclesia vestra ex donatione Goffridi quondam comitis Catacensis, fundatoris monasterii vestri, et Guillelmi de Lutio filii eius et Goffridi de Ca[r]bonara e nepotis illius et aliorum proborum hominum necnon et omnia, que oblatione quorumcumque fidelium hactenus tenuit ecclesia vestra, sicut instrumenta publice facta continent, et inantea iusto titulo poterit adipisci. Confirmamus insuper vobis libertatem pascuorum pro omnibus animalibus monasterii vestri per omne demanium nostrum, quam constat vos habuisse per concessionem regis Guillelmi bone memorie consobrini nostri et confirmationem domine matris nostre mandantes, ut nullus pro animalibus vestris herbaticum aut glandaticum exigere audeat seu mandras, pastores et animalia vestra in aliquo molestare et nichilominus libertatem pascuorum et omnes bonas consuetudines, quas in terra Lutii hactenus habuistis. Mandamus preterea, ut fratres monasterii vestri cum omnibus animalibus suis per omne demanium nostrum ab omni exactione passagii, plateatici sive pedagii terra vel mari tam in vendendo quam in emendo perpetuo sint immunes, quam libertatem ex privilegio domine matris nostre certum est vos habere. Ad huius autem nostre protectionis et confirmationis memoriam et inviolabile firmamentum presens privilegium scribi iussimus et nostre maiestatis bulla cerea roborari; anno, mense et inditione subscriptis. Data in felici urbe Panormi per manus Gualterii venerabilis Troiani episcopi, regni Sicilie et Apulie cancellarii, anno ab incarnatione domini millesimo centesimo nonagesimo nono, mense ianuarii secunde inditionis, regni vero domini nostri Frederici dei gratia illustrissimi regis Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue anno primo; feliciter amen.